Miſcellanea 653 n. 23

CLAVDII ARNOLPHI
THEOLOGI PARISIENSIS
Orationes duæ

HABITÆ IN SACELLO PONTIFICIO
Prima, De feſto omnium Sanctorum

Altera, De Sancto Iohanne Euangeliſta.
Anno Iubilei M D LXXV.
Sub Gregorio XIII. P. M.

CVM LICENTIA SVPERIORVM.





ROMÆ,

Apud Ioſephum de Angelis. M D LXXV.

DE FESTO OMNIVM SANCTORVM ORATIO.

ANniuerſaria omnium Sanctorum natalitia, Beatiſſime Pater, quę veteris legis adumbrata figuris, poſt Bonifacium Gregorius IIII. ex antiqua Panthei, ſeu verius Panidôli ſuperſtitione, ad Panagium Chriſtianum tamquam Aegypti ſpolia ad verum dominium tranſtulit, linguisq. animisque celebrare non minimum erit operæpretium, vt quos ſolenni veneratione proſequimur, etiam ſimili conuerſatione ſequamur: quos beatiſſimos prædicamus, ad eorum beatitudinem tota

auiditate curramus: quorum delectamur præconiis, ſubleuemur patrociniis. Eſt enim ſolemnis iſta Sanctorum omnium memoria, vitæ noſtræ meta quædam propoſita, & eius quam ſperamus beatitudinis arrabo. Nam quid eſt aliud vniuerſum noſtræ peregrinationis tempus, quàm paraſceue quædam, & peruigilium ſolennitatis magni & æterni Sabbathi, quod expectatur; vt liberati de corpore mortis huius, ac ſoluti graui peccatorum pondere, quo præmimur, poſt varios caſus, poſt tot diſcrimina rerum ingrediamur & nos beatam illam requiem, quæ eſt verum Pantheon, & conſummata Sanctorum lætitia. Sed quia ſocii paſſionũ erunt & conſolationum, calcanda eſt uia, qua Proceres abiere pii, quæ licet dextrum petat ardua callem, difficilemque aditum primò ſpectantibus offerat; tamen requiem prębet feſſis in vertice ſummo. Scala illa eſt Iacob, quæ de terra erigitur octo beatitudinum euangelicarum gradibus diſtincta, cuius ſummitati innixus Dominus, de alto nos reſpicit, manum porrigit, ad ſeipſum nos trahit, imo ſeipſum tamquam itineris noſtri viaticũ præbet, cuius fortitudine de virtute in virtutem procedentes, & aſpicientes in auctorem fidei, & conſummatorem IESVM, aſcẽdamus et nos in montẽ, non illum ignitomum & procelloſum, ſed montẽ Sion ciuitatem

Dei

Dei viuentis,Hieruſalem cæleſtem,multorum mil-
lium Angelorum frequentiam,& Eccleſiam primi-
tiuorum.Sed interim in hac ſcala ſancta ne otioſe
contemplemur aſcendentes & deſcendentes Ange-
los, necnon & beatos ſanctorum ſpiritus, qui, ſcri-
ptura teſtante, erunt ſicut Angeli Dei: Aſcendunt
enim propter ſe, deſcendunt, vel potius conde-
ſcendunt propter nos: Aſcendunt per contempla-
tionem Dei, deſcendunt per compaſſionem noſtri,
vt cuſtodiãt nos in omnibus viis noſtris: Aſcẽdunt
ad vultum Dei, deſcendunt ad nutum, quoniam
Angelis,& Sanctis ſuis mandauit de nobis. Vt enim
Deus omnia in numero,pondere & mẽſura ſuaui-
ter gubernans ſecundis cauſis tamquã ſuę bonitatis
et potentię vtitur inſtrumẽtis,ſic dũ Microcoſmon
hunc ad viam ſalutis dirigit, non ſolum habet in
Eccleſia militãte myſteriorũ ſuorũ diſpenſatores,
& ſalutis noſtræ cooperatores,hãc videlicet ſancto
rũ Apoſtolorum ſucceſſionẽ, quam nõ dubitat Au-
guſtinus petram appellare, ſupra quam Eccleſiæ
ſtat ædificium; ſed etiam in triumphante Eccleſia
ſemper illi aſſiſtunt adminiſtratorii Spiritus, & bea
torum Sanctorum animæ, quæ nobis compatien-
do,et orationes noſtras deferendo,per hanc Scalã
ſanctam perpetuo deſcendunt & aſcendunt,vt cum
illis brauiũ illud cæleſte conſequamur. Non quod

Deus

Deus ſuam alicui vel Angelorum miniſterio, vel Sanctorum patrocinio alligauerit potentiam: ſed hoc modo beneplacitum eſt notum facere nobis myſterium voluntatis, & diuitias gloriæ ſuæ: Non ſolum vt multiplicatis intercesſoribus maior ſuæ bonitatis apud nos cumuletur acceſſio: ſed vt communio illa Sanctorum fidei articulis comprehenſa in nobis, & a nobis retineatur, atq; mirabilis in ſanctis Dominus, mirabiles per eos, & aliquãdo maiores quam per ſe effectus ſuæ potẽtiæ oſtendat. Etenim vt cæli cęlorumque ornatus, & admirabilis ſtellarum varietas non obſcurant, ſed enarrant gloriã æterni illius opificis: Vt Angelorum non ſingulorũ hominum tantum, ſed & ciuitatum, & Prouinciarum cuſtodia, generali Dei non derogat aut detrahit auxilio, ſed ſummam Dei arguit prouidẽtiam non diſſimili ratione maior in nobis relucet Dei bonitas, & ſingularis ſapientia, qui cum ſine interprete orari poſſit, ſed non tam facile exorari velit, multa, ut notat Auguſtinus, concedere renuit, niſi mediatoris alicuius & deprecatoris opera acceſſerit: Quod Illuſtribus Abimelech, & amicorum Iob confirmat exemplis, quorum peccata non niſi Abraham & Iob internuntiis condonare voluit: nec niſi per Moſem populo legẽ dare placuit, qui mediator & ſequeſter inter Deum & populum nominatur

minatur

minatur. Mediator talis fuit conſtitutus Hieremias clamans: Recordare mei ſtantis corã te ad loquendum pro eis bona. Nec tam facile fuiſſet exaudita Centurionis oratio, niſi mediatores interceſſionis habuiſſet Apoſtolos, qui tamen nõ ob id officio redemptionis functi dicuntur, quomodo vnus eſt & ſolus Mediator IESVS CHRISTVS: qui idem cũ ſummus ſit interpellator & Aduocatus noſter, ipſe tamquam filius per ſemetipſum accedit ad Patrem, atque omnes Sanctos, qui miniſtri & ſerui ſunt, non niſi per ſeipſum facit accedere, vt loquitur Cyrillus. Quamobrem præclare Bernardus de Petro & Paulo ita exclamat: Hi mihi traditi ſunt in magiſtros & mediatores, quibus me ſecure committere poſſum: quia & notas mihi fecerunt vias vitæ, & mediantibus illis ad illum Mediatorem aſcendere potero, qui venit pacificare per ſanguinem ſuum & quæ in cælis, & quæ in terris ſunt. Quis ergo niſi ab omni ſanctitate alienus ambigere poteſt, tantum abeſſe, vt interceſſione Sanctorum Chriſti gloria obſcuretur, quin magis vt illuſtretur, quando non in alium tota orationis fiducia transfertur, ſed alios vt interceſſores, non largitores colimus. Honos erga bonos conſeruos collatus, beneuolentiæ ſignificationem apud communem Dominum habet, inquit Baſilius. Oſtendatur mihi Romæ, clamat

Augu-

Auguſtinus tanto in honore templum Romuli, in quanto ego tibi oſtendo memoriam Petri ? In Petro quis honoratur niſi ille defunctus pro nobis? Non ſumus Petriani, ſed Chriſtiani. At vſque adeo ad Chriſti gloriam illuſtrandam pertinet ea quæ a ſanctis petitur interceſſio, vt fidei noſtræ ſymbolo comprehenſa, non poſſit ſine fidei diſpendio in dubium reuocari. Eſt enim illa Sanctorum cõmunio uelut quædam membrorum inter ſe connexio, & ſimpathia: quorũ ut unius operatio cedit in commodum totius corporis, ſic inter Eccleſiæ membra mutua quædam eſt bonorum cõmunio, nõ eorum tantum qui in hac lacrymarum ualle adhuc militant nobiſcum: ſed magis illorum, qui iam triumphant in cælis, & cum Chriſto feliciſſime viuunt, qui quò ſunt ſecuriores de ſua immarceſſibili gloria, tanto magis ſunt ſolliciti de noſtra multiplici miſeria: imo quorum hinc diſceſſio, non mors, ſed natalitius dies nominatur: quorum uita non aufertur, ſed transfertur: quorum ſcientia non tollitur ſed extollitur: quorum charitas erga nos nõ extinguitur, ſed conſummatur. Quod ſi uerũ eſt quod dixit ueritas, quæ mẽtiri neſcit, quod in reſurrectione erimus ſicut Angeli in cælo, Angelos autẽ non modo ſcire quid precantur in hoc ſeculo degentes, uerum etiam Deo preces eorum offerre, manifeſte

ſcriptu-

ſcriptura docet: quid eſt quod iam dubitet quiſpiam, quin animæ piorum deſideratiſſimo Dei conſpectu fruentes, non ignorent quid a ſe petant fratres in terris agentes? ſiue reuelantibus Angelis, quod Dionyſio viſum eſt; ſiue, quod Hieronymo placet, celeritate quadam percipiendi, cum ſimiles Angelis facti ſunt: ſiue potius, ut præclarè dicit Gregorius, quia uidentem omnia uidentes, in eo & per eum uident omnia? Quomodo enim ibi Sanctorum animæ preces ad ſe confugientium neſciãt ubi ſcientem omnia ſciunt? Sepultus in inferno diues epulo, quid ſui fratres in hoc ſeculo agerent forte non ignorabat, ſed pro eis precabatur: et ignorabunt Spiritus cæleſtes quid agant, uel quid ſe precentur fratres, corruptibile hoc corpus adhuc circunferentes? erunt ne meliori conditione Dæmones, quos non omnino latere cordis noſtri cogitationes, & ſingulari quadam ſcientia, à qua nomen traxerunt, pollere Seuerus apud Caſſianum prodidit, quam animæ beatorum ſuauiſſimo Dei conſpectu fruentes? Imo Dæmones præſtigiis magicis euocati adſunt, et Sanctis Eccleſię precibus inuocati illi beati Spiritus non aderunt? Num plus poterit Spiritus nequam ad maleficium, quam anima beata ad beneficium clamat Origenes? O blaſphemas Vigilantii, Fauſti & Eunomii uoces.

O impios Agiomaſtigas, qui plura Dæmonibus quàm beatis immortali requie fruentibus attribuunt. Vox potius Dei quàm Hieronymi fuit, cum diceret: Si Apoſtoli & Martyres adhuc in carne conſtituti poſſunt orare pro cæteris, quando pro ſe debent eſſe ſolliciti, quanto magis poſt coronas, uictorias & triumphos? Si pie dicebatur Petro in terris degenti; Ora pro me Dominum, cur impius habeatur, qui totidem uerbis eum nunc appellet in cælis agentem? Imo, ut loquitur Auguſtinus; Si tunc opem ferre poterat umbra corporis, quanto magis nunc plenitudo uirtutis? ſi tunc ſupplicantibus proderat aura quædam pertranſeuntis, quanto magis gratia nunc permanentis? ſi ad præſidia ſupplicantium tam potens fuit ante martyrium, quanto magis efficax poſt triumphum? Sed in hoc magna Dei prouidentia & admirabilis ſapientia dignoſcitur, qui diſponens omnia ſuauiter, licet omnia per omnes Sanctos omnibus concedere poſſit, tamen ſæpe bonitatis ſuæ beneficia per unum potius, quàm per alterum nobis communicat: Sicut enim, quod Apoſtolus ait; Non omnes Sancti habent dona curationũ, nec omnes habent diiudicationem ſpirituum: Ita nec apud omnes Sanctorum memorias iſta fieri uoluit ille qui diuidit propria unicuique prout uult: Nolæ et Mediolani multa in

homines

homines Sanctorum uirtute conferri beneficia admiratur Auguſtinus,quæ nec alibi, nec ab aliis fieri audiebantur. Habent etiam ſingulæ Nationes ut Angelos cuſtodes, ſic patronos ac tutelares diuos, ad quos indigenæ,ſalua pietate,magnoque ſuo fructu,decurrunt. Sic Sanctus ille Pontifex Leo ſpeciales urbis Romæ patronos Apoſtolos nominat, ante quorum thecas iacuiſſe cilicio proſtratum Imperatorem,ſcribit Rufinus: & in urbe omnium regaliſſima Reges ad ſepulcra Pellionis & Piſcatoris eucurriſſe aſſerit Chryſoſtomus. Sed Ambroſius eos potiſſimum martyres obſeruandos dicit, quorum nobis corporis pignore patrocinium uendicare uidemur. Et Auguſtinus dum illud ex Apocalypſi interpretatur: Adiuuit terra mulierem; Terram Sanctam dixit,ideſt, Sanctos. Quoties enim perſecutiones Eccleſiæ irrogãtur, Sanctæ terræ precibus, ideſt, omnium Sanctorum orationibus aut amouentur, aut temperantur: ſed eorum maximè, qui uel Eccleſię ipſi præfuerunt,uel ſanguinem pro eius defenſione fuderunt. Gregorius Nazianzenus non dubitauit de patre ſuo Zazimorum epiſcopo ſcribere,quod non minus paſcit gregem iam in cælum tranſlatus, quam cum in terris uerſaretur: quin et hoc addidit, quod magis nunc proficit precibus, quàm antea doctrina, quantò magis Deo

nunc eſt propinquus. Hæc eſt Beatiſſime Pater, uera omnium Sanctorum ſolennitas: hæc Chriſtiana Panagia, & ſacra diualia, ſi quos beatiſſimos credimus ad eorum beatitudinem toto molimine contendamus: & quorum delectamur præconiis, ſubleuemur patrociniis: ut faciamus eos nobis amicos, qui ubi defecerimus, recipiant in æterna tabernacula. Quique ſui memores alios ſecere merendo: Sic enim illud Virgilianum Sanctorum meritis accommodat Auguſt. Quamobrem in his temporũ procellis, quibus Chriſti nauicula tantopere agitatur, ſed nunquam ſubmergitur, antiquorum patrum Auguſtini, Victoris & Nicæni pro laborante Eccleſia orationibus orationem iam noſtram concludamus. Deprecamini Patriarchæ, de quorum ſtirpe nata eſt quæ nunc laborat in terris Eccleſia: orate ſummi Prophetæ cognoſcentes afflictam, quam antea, uaticinante præconio, cecinistis: eſtote Apoſtoli ſuffragatores eius, quam ut congregaretis, uniuerſum orbem, aſcendente in uobis Domino, uelut equi uelociſſimi curſitaſtis: præcipue tu Petre beate, tu Sancte Paule gentium magiſter, uniuerſique ingemiſcite Sancti; Proſtrati rogamus, ut pro Eccleſiis, quas conſtituiſtis, ſitis ſolliciti, ne debacchetur, atque graſſetur aduerſus templa rabioſus & ſceleratus barbarus; ne conculcet ſancta prophanus,

phanus, & impius; ne hæreſes ſicut ſpinæ in uinea ſuccreſcant; ne Zizanium editum ſuffocet triticum. Sed orate omnia agmina Sanctorum, & uniuerſi cætus beatorum, ut nos nauigantes per hoc mare magnum & ſpatioſum, ubi sunt animalia puſilla cum magnis, ubi ſunt loca periculoſa Scylla & Charybdis, in quibus naufragantur incauti, & in fide dubii, ueſtris precibus meritisque adiuti, ſalua naue & integris mercibus, ſedente in puppi, & clauum dirigente GREGORIO peruenire mereamur ad Sancta Sanctorum, ad portum æternæ ſalutis & beatitudinis. Quod nobis concedat qui eſt benedictus in ſecula.

Amen.

AD REVERENDISSIMVM
& Illuſtriſsimum D. meum
D. CARDINALEM DE PELLEVE Archiepiſcopum Senonenſem.

*C*LAVDIVS *ille tuus quo tota loquente ſtupebat*
Æmula Tarpeiæ populoſa Lutetia Romæ,
Nunc ſeptem muro quas Roma amplectitur arces
Eloquio, & patrem mulcet ſub gurgite Tybrim.
Quem tu purpurei decus o Peluæe galeri
Si pergas ornare animi tot dotibus auctum
Tam facies cupidis optat quod Gallia uotis
Quam facies quod erit tanto te præſule dignum.

Franciſcus Amboſius Pariſinus.

CLAVDII ARNOLPHI

THEOLOGI PARISIENSIS

Oratio

De Beato Iohanne Euangeliſta.

RVRSVS ad hoc ſtadium dicēdi repente quōdam modo reuocor (Beatiſſime Pater uoſque clariſſima mundi lumina) in quo mihi idem quod illis acccidit,quibus ob frequentem Solis intuitum ipſa uidendi acies fit nimio ſplendore languidior atque hebetior: Sic tanto auguſtior nunc ſeſe offert huius Sedis plena maieſtate Sanctitas,ut non modo quod hanc ſemel

atque iterum uiderim, fiam ad dicendum promptior, quin ipſa oratio mea huius amplitudinem magis quam antea obſtupeſcat. Sed ueſtra humanitas & præcipue Dei opt. max. benignitas animum exuſcitat meum, in cuius gloriam cum de dilecto diſcipulo Ioanne coram Apoſtolicis uiris, imo coram Apoſtolicorum principe dicturus accedo, primum admirabilem Diui Ioannis ad apoſtolatum uocationem, tum dignam eius uacationem breuiter perſtringam, ut ad Apoſtolatus miniſterium uocati relictis retibus & naui Chriſtum Dominum & ducem eueſtigio inſequamur. Equidem mirabilis in altis Dominus, mirabiles in hoc mundi pelago elationes facere ſolitus, infirma mundi ſæpiſſime eligit, ut admirabili modo fortia quæque confundat: Moſem alioqui undis expoſitum, balbutientem & indiſertum ad Pharaonis tyrannidem retundendam uocauit, & non tam verborum quam factorum magnitudine formidabilem reddidit. Saulem plane amouſon vnctione ſua inter prophetas quaſi prophetarum Regem effecit. Dauidē à pedo ad ſceptrum, à ſtabulo ad ſolium erexit. Apoſtoli à retibus ad regna, à piſcatione ad prædicationem, à uili artificio ad ſublime miniſterium ita admirabiliter uocati ſunt, ut breui tempore inermes homines armatum vicerint mundum. Sed hæc mutatio

tatio

tatio dexteræ excelſi & diuina metamorphoſis, tum uel maxime in Diui Ioannis ſingulari uocatione dignoſcitur. Quid enim Ioannes erat antequam à Chriſto uocaretur niſi conditione ignobilis, arte piſcator, moribus peccator, literis idiota, lingua Galilæus? Verum poſtea quam unica uocatione in Chriſti conſortium adſciſcitur, tum poſtea ad ſinum familiariter admittitur, ſupra Domini pectus recumbens, puriſſimum illum & cæleſtem ſpiritum haurit, repente in uerum Tonitrui filium dextera excelſi mutatus, perfectiſſimus & omnibus muneris abſolutus Euangeliſta euadit. O quantum mutatus ab illo qui prius mundi curis implicatus, & humanis affectibus irretitus, in cupiditatum ſuarum retibus componendis totus erat. Is enim poſtquam unica Chriſti manifeſtatione tractus, tam promptum & expeditum ſe præſtitit ad Chriſti ſequelam, ut ad ſimplex uerbum, ſequere me, relictis retibus et naui ſine ulla mora aut cunctatione ſequutus ſit eum. Neſcit enim tarda molimina Spiritus Dei; Sed reliquit nauem uariis mundi fluctibus agitatam & breui forte ſubmergendam, ut fieret Eccleſiaſticæ nauis gubernator, quæ licet ſæ-

animas hamo euangelico ad ciuitatem cæleſtem attraheret. Quis mihi det antequam moriar (clamat Bernardus) uidere Eccleſiam Dei ſicut in diebus antiquis, quando Apoſtoli laxabant in capturam non diuitiarum ſed animarum, quando Apoſtoli relictis mundanarum cupiditatum retibus, quibus homines capiuntur vt hamo piſces, Chriſtum vnum ſequebantur, ad Chriſtum vnum curas & cogitationes ſuas dirigebant? Sed ò Domine Deus omnes ad te, pauci poſt te venire deſiderant, omnes ad tua, pauci ad teipſum anhelant. Præclare Romanus ille Hiſtoricus ſcribit, imperium iiſdem artibus facile retineri quibus initio partum eſt: At Apoſtoli mundum calcando, Chriſtum ſequendo, delitias ſpernendo Eccleſiam gubernarunt, auxerunt, locupletarunt: eam poſſe contrariis artibus ſartam tectam retineri erit credibile, cum vel principem tenebrarum potius quam Chriſtum ducem proponemus, vel a longe etiam vacillantibus animis Chriſtum inſequemur? Quid eſt quæſo, Patres illuſtriſſimi, principem tenebrarum potius quam Chriſtum ducem habere, niſi formidare mundi potentiam, non illum qui eſt terribilis apud Reges terræ, qui aufert ſpiritum principum, qui ſolus poteſt animam mittere in gehennam? Quid eſt Chriſtum à longe ſequi, niſi puſillos ad om-

nem

nem cubitum conſuere, non ſe ponere murum pro domo Dei cum ſæuit plaga, ſed ad ancillæ & mulierculæ uocem trepidare & Chriſtũ pernegare? At non ita D. Ioannes qui ut Chriſtum proxime ſequeretur, illiusq. veſtigia ſalutis iter præmonſtrantia teneret, nunquam à latere eius uiuentis aut morientis aut ſuſcitati diſcedere voluit. Omnes Chriſto patiente fugerunt, ſolus Ioannes Chriſto etiam morienti aſtitit: vbi enim eſt amor, ibi nec timor grauat, nec labor. Quare non ſine excellentis doni priuilegio dulciſſimum nomen, ampliſſimum atque illuſtriſſimum titulum ſolus ſibi ipſi in Euangelio attribuere non formidat: Hic eſt diſcipulus ille quem diligebat IESVS; Imo ille eſt diſcipulus qui ſupra pectus Domini in cæna recubuit, vt qui plura aut maiora fidei miſteria e fontibus Saluatoris hauſerit, diuinaque Apocalypſi tradiderit. Hic eſt admirandus Tonitrui filius, qui altiſſimum & inſcrutabile Trinitatis miſterium penetrans, ab exordio Euangelii ita intonat: In principio erat uerbum. hic eſt qui Deitatem verbi contra Ebionem, Cherintum & cæteros ſui temporis pullulantes hæreticos, tam certum & indubitatum reliquit,

ſtibus deterritos ad templum reſtaurandum ſolli-
citaret, ſub eius baſi extrema in ſpecu quodam li-
ber Euangelii ſecundum Ioannem inuentus, Iu-
dæos & Græcos ita conſternauit, vt fremente Iu-
liano Chriſtum Deum à multis proclamatum Ec-
cleſiaſtica teſtetur hiſtoria. Sed adhuc longe altius
miſterium video: Nam quid aliud nobis hic ſuper
pectus Domini recubitus ſignificat, quam virum
Apoſtolicum non habentem vbi caput reclinet, in
ſolo IESV pectore atque in ſcripturis ſanctis quæ
illius puriſſimum & candidiſſimum pectus referunt
quaſi in tutiſſimo nido debere conquieſcere? Sic
Aquila noſtra Euangelica ad præceptum Domini
eleuata, poſuit in arduis nidum ſibi, quando fixis
& immotis fidei oculis lucem inacceſſibilem diui-
nitatis Chriſti perluſtrauit, et abiectis terræ curis,
non modo voluit ipſa cõſidere in cęleſtibus, ſed pul
los ſuos ad volandum & illic nidificandum prouo-
cauit: quos vt legitimos à ſpuriis diſcernat, prius
vngue ſuſpenſos radiis Solis opponit: Qui fixis
oculis contemplatus fuerit, filius agnoſcitur: Qui
palpitauerit, tanquã adulterinus ab vngue demit-
titur. At oculus aquilæ eſt fides, inquit Saluianus:
Quemadmodum autẽ oculus tanta naturæ purita-
te & ſplendore excellit vt in functione ſua ne labe-
culam aut feſtucam minutiſſimam ſuſtinere poſſit:
Ita

Ita veri aquilæ filii in oculo fidei, nil niſi purum, et perfectum, nil niſi ſincerum et ab omni labe pur gatum admittere debent, aut poſſunt. Non peruerſitate lippientes, non curioſitate luſcioſos, non obſtinatione caligantes, non heſitatione palpitantes decet eſſe oculos fidei: Quorum puritatem tam conſtanti et infracto animo retinuit Euangeliſta noſter Ioannes, vt nec ipſius Cherinti in balneis intuitum nedum conſortium ferre vnquam voluerit: fugiamus hinc, ait, ne balnea nos opprimant ruina in quibus Cherintus lauat veritatis inimicus. At quanto pietatis ſtudio pullos ſuos caſu aliquo extra nidum oberrantes à laqueis venantium eripuerit, græca illa et trita de iuuene reſtituto teſtatur hiſtoria, quam Chriſoſtomus tanquam ſingulare pietatis exemplũ Theodoro lapſo proponit Iuuenem enim acolaſtum & inter prædones graſſantem, dato animæ ſuæ vadimonio tanta pietate reuocandum curauit, et reuocatum inſtituit, vt illum Chriſto lucratus, nobis documento fuerit, nullis parcendũ laboribus vbi de ouicula ad Chriſtũ reducenda ſpes aliqua relinquitur. Sed Euge ſerue bone & fidelis, qui in vna ouicula tam ſolli

matrem ſuam, teſtamento Crucis legare & committere dignatus ſit; Quod tam ſingulare beneficium dum agnoſcit, ex illa hora accepit illam in ſuã: Nec accepit ſolum, ſed domi humaniſſime excepit omnique obſequi genere per undecim annos eſt veneratus; O Domus Sancta, in qua mater Dei & Ioannes, dilectio ſcilicet Dei & operis exhibitio vna cõmorantur. O felix & Theotoco dignũ Ioannis hoſpitium, in quo tremendum illud paſcha & miſticum conuiuium Chriſtus cum diſcipulis dicitur inſtituiſſe: Vere apoſtolicum Ioannis Palatium ideſt omni uirtutum non vanitatum genere ornatum, in quo Spiritus Sanctus ſpecie linguarum ipſa Penthecoſtes die ſuper apoſtolos deſcendiſſe traditur, in quo Iacobum iuſtum primum Hieroſolimorum Epiſcopũ apoſtoli ſuffragiis ſuis deſignarunt, & Stephanum apoſtolicum Archidiaconum cum ſex reliquis elegerunt. Talis debet eſſe domus viri apoſtolici, quæ ut loquitur Hieronymus, tanquam officina uirtutum, ſchola publicæ honeſtatis omnium bonorum refugium & aſylum, Impiorum terriculum dici & eſſe poſſit. At Beatiſs. Pater Ioanni de Cruce committitur cura matris Domini, nobis de Cruce commiſſa eſt Eccleſia: Accepit ille matrem Domini in ſuam, Debet & unuſquiſque noſtrum accipere Eccleſiam in ſuam, non in nouercã

& inimicam,ut hæretici faciunt qui aperto marte & ſecretis cuniculis eius excidiũ moliuntur: Non in ſeruam & ancillam, ut ii faciunt qui duro iugo illam miſerabiliter opprimunt & ſpoliant: Non in pellicem, vt ii qui fornicario ambitionis & ſimoniæ cõplexu illi ſe copulãtes, dotem amant nõ ſponſam, & ſua tantũ quærunt nõ quæ IESV CHRISTI: Sed in uenerandam matrem & legitimam ſponſam, cui ſincerus amor propter Chriſtum prompte & hilariter exhibeatur, Cui tantopere mærenti & Chriſtum quaſi de nouo in ſuis Crucifixũ ſpectanti, ſolatia præbeantur: cui deſolatæ & penè iacenti authoritatis Eccleſiaſticæ brachia porrigantur: Ad hanc matris ſollicitudinem nos inuitat Ioãnes perfectiſſimum charitatis exemplar. Ad hoc nos prouocat Aquila illa quæ in medio Cæli volans clamat væ vę vę, illis qui matrem ſibi commiſſam irreuerenter tractãt Filius Tonitrui nobis intonat, ut memores vacationis noſtræ retia humanarũ cupiditatum relinquamus, & Chriſtum Dominum ſequamur, qui ſi nos in uacatione noſtra laborantes & remigantes uiderit, in tantis hereſeôn fluctibus tandem aliquando reſpiciet, & ſedata tempeſtate

dicet. Confidite, ego ſum: Quod no-